Reuerendo in Chro patri ac Dno, Domino
Nicolao Amsdorffio Episcopo Numburgen:
domino et patrono obseruando suo.

Gratiam et pacem à Deo patre nostro per Christum.
Significatum nobis est Reuerende in Christo pater
et Domine obseruande, filio generosi Comitis
D. Johannis à Gleichen in Remda peda=
gogum quaeri, qui et eruditione et morum gra=
uitate sit praeditus, Etsi autem difficilis esse
solet et periculosa electio, hoc tamen tempore,
cum in misera illa, et tristi Scholarum dissipatio=
ne, non pauci, qui honestum aliquem in Aca=
demijs locum tueri possent, domi nunc latere
cogantur, recepi esse aliquanto facilior debebat.
Est in numero illorum Magister Christophorus
Durfeldius iuuenis, praeter linguarum grae=
cae et latinae cognitionem, in philos quoque studijs
ita versatus et exercitatus, ut honesto etiam testimonio
ab Academiae Witebergen professoribus ornatus sit,

Et cum ante annos aliquot in Schola Isenacen=
si pueros doceret singulari dexteritate, fide, et
diligentia officium suum sic fecit, Vt aegre di=
missus sit, Nec dubito cum eruditio vna
cum aetate accreuerit, illum, vt maiore di=
ligentia, ita acriore quoque iudicio officium suum
porro facturum esse. Proinde cum intellexeri=
mus R. D. T. demandatum id negocij à generoso
comite esse, vt idoneum aliquem filio peda=
gogum quaerat, summisse oro, vt id munus
huic M. Christophoro committere velit,
Non enim dubito illum, quod sciam potest, omnia
recte, fideliter ac liberaliter facturum, ac
praestaturum plura, quam ~~et~~ ego pro eo spondere
possum. R. D. T. in Chro bene ac feliciter
valeat. Dat: Gotae die Cinerum 1548

R. D. T.

dd.

Justus Menius
Ecclesiae Gotanae
pastor